

II 133

Aurum Sapientiae s. de lapide philosophorum et recessio Scriptorum
F. 134 95 DISSERTATIONEM LATINAM
SUPER DICTO C. JUL. CAESARIS:
SI JUS VIOLANDUM, IMPERII GRATIA
VIOLANDUM,
FRANCISCUS CAROLUS CONRADI,
REICHENBACHIO - VARISCUS,
VIRI, DUM VIVERET, NOBILISSIMI, &c.
DN. CAROLI SIGISMUNDI
CONRADI,
QVONDAM SER. ET POT. REGI POL. ET
ELECTORI SAX. A CONSILIIS COMMISSIONUM,
ET PRÆFECTURA VOIGTLANDICA &c.
FILIUS NATU MAXIMUS,
DISCIPULUS HACTENUS NOSTER SPEI OPTIMÆ,
ET,
QVOD DOMINÆ MATRI, NUNC VIDUÆ,
MATRONÆ HONESTISSIMÆ, MAGNO SOLATIO,
NOBIS, INGENIORUM CHYMICIS,
NON MINORI GAUDIO SIT,
AD SAPIENTIAM INTER CONDISCIPULOS EGREGIE
ASPIRANS,
DIE CRASTINO,
PERACTIS SACRIS,
IN AUDITORIO MAJORI,
INSTITUET
DISCESSURUS, SIMVLQVE CYGNEÆ NOSTRAE
SALUTEM ULTIMAM DICTURUS.
AD HANC IGITUR SOLEMNITATEM
SCHOLASTICAM
VENERANDOS DNN. INSPECTORES,
PATRONOS, FAUTORES QVE STU-
DIOSÆ JUVENTUTIS
HIS LITERIS
PEROFFCIOSE ET PERAMANTER
INVITAT
M. GEORG JUS ANDREAS Vinholt/ R.



CYGNEÆ
LITTERIS FRIDERICIANIS.



Universum orbem auri argenteique cupido tenet: ex quo primis seculis usitata rerum permutationes nimis onerosa videri, succrescente hominum numero, & paulatim exolescere ceperunt. Tunc sane argenti nitor praeclarus habitus, tunc splendor auri praestrinxit oculos. Ingentem molem cervici mea imponerem, si varias artes atque dolos, quibus animi tranqvillitas perit, conscientiae vulnus infligitur, vita innocentia pessum fertur. Juntasque sanctum in ultimam Thulen relegatur, pecuniae corrogandae causa, hic enarrares sustineam. Adeo ingeniosa in nequitiam audax avaritia, lucisque turpis cupiditas, & di, vitiarum male partarum improba possesso est. Ad ea divertatur oratio, quæ aut absque animi tensione conqueriri possunt: aut de quorum studiis dubium, utrum ea pietatem rectique tenorem tabefactent, necne. Veterum scilicet monumentis constat, aurum a formicis apud Scythes, aut gryphibus inopinato erutum, letum incolis in expectate inventionis augurium dedisse. Fluminum ramentis accalarum oculos sensusque imos exhilaratos; cum Tagus Hispanos, Padus Italos, Thracas Hebrus, Pactolus Asiam, Ganges Indos arenis aureolis locupletarent. Puteolorum scribibus, montium in ruinis, venarum auriferarum copiam in sinum proxime habitantium sese effudiisse. Ubi segillum h. e. auri indicium forte fortuna promiscisset, eo loco alveos & lapillos minutos lavatos, non penitentiam metalli optimi massam inde conflamat præbuisse. Sive in supra telluris superficie, rara felicitate, auri semina profluiscent, legerem auream in loculos numinorum reportatam. Quid & cuniculis subterraneis per magna spatia actis, cavatisque ad lucernarum lumina montibus, magnum auri argenteique pondus effossum, metallariorum labores ac pericula largo sonore pensasse. Has metalli fodinas deterioribus seculis Poeta Sulmonensis deputat, graviterque progeniem patribus virtiosiore deplorans, in viscera terra itum esse detestatur, & malorum irritamenta opes effossas, etiam quas terra ipsa recandidisset, umbrisque Stygiis admovisset. (a) Sic horridum quoque visum sapienti viro Petrarchæ, sub terram se abscondere, neque almo cœli lumine retineri, neque atra teluris formidinem, neque pericula impendentia mortis expavescere, Tartareos manes, amore habendi abruptum exagitare, denique vivum spirantemque sepeliri. Qod genus calamitatis cane pejus & angue reformidabat Nero Imperator. Cum enim, ignominiosam mortem & populi persecutis ludibria ut vitaret, specus aliquod reconditum ut ingredetur, & Libitinae minas evaderet, ab armis admoneretur; vivum se sub terram itum negavit. (b) At vana hic trepidatio est a conscientia: modo animus in pectore praesens, atque ad gazas naturæ investigandas paratus assit; quippe cum Summus rerum Opifex homini facultatem in omnes partes terrarum indulserit. Quo gloriiosius recens memoria Saxoniorum Triumvirorum laudes celebrat, Schönbergii, Löhneuslli, Hertvichii, qui rem metallicam & metallorum operas & leges vocesque exquisita industria posteritatis consecrarent. (c) Imo aliam auri faciendi viam vetustate magistra ad inventam legimus ex auri pigmento, quod in Syria foderetur pictoribus, ut Plinius loquitur, in summa tellure, auri colore, sed fragili lapidum speculariorum modo; Cajumque Principem, auri avidissimum, ejus inventi spem irritavisse, magnum pondus ejus materia qui jusserr excoqui; & plane aurum fecisse excellens, sed ita exigui ponderis, ut detrimentum sentiret, avaritiae pœnas sibi ipsi irrogans; qvamquam auripigmentum XIV. librae permutatione. (d) Ab hac coctura non admodum ab ludit illa fabricandi auri ratio, quam vulgus Alchymiam, alii naturæ imitaticem, plerique hujus artificii consortes partem Philosophiae naturalis appellant; cujus opera modus doceatur, perficiendi metalla supra terram, idque ex imitatione operationum naturalium, qvad ejus fieri posuit. Hujusque reitalem esse originem (placet enim imaginem quandam ipsius, exaliorum placitis stylo expressam, ponere hoc loco) sibi persuadent. Cœlum, ajunt, sensim infundere in terram radios suos, qvorum virtutes in hac, singulari naturæ clementia, in unum coire, & suberrima coniunctione, ut in sphærae centrum, coalescere. Rerum nascentium ortum a tribus principiis repetendum, a Mercurio, Sale & Sulphure. Metalla in terra, tanquam fetus in utero, quem montes referant, procreari, vi siderum in terram potenter penetrante; eo quod a Planetis metallâ suam Essentiam, ut vocant, metallicam, suum nomen, numerum, colorem, virtutem & proprietatem nasciscantur. Nimirum cœlestes radiorum virtutes in ipso terra sibi materiali simplicem, subtilem, spiritu animatam, corruptionis experientem, luce viventem sua inventire. Hanc naturæ sagacitatem sic preparari per efficacem quandam confessionem & concordiam, quam inter se habeant mutuo virtutes illæ, ut cœli influentibus viribus duplex flumus seu metallicus quidam spiritus materia illi infundatur. Cumque ista spiritalis materia diutissime, cœlestibus illis virtutibus, spiritalique vita obsequens, in substantia metallicorum principiorum Mercurii, Sulphuris ac Salis permanferit: totam reddi uniformem & ejusdem indolis. Longissimo tempore, puta annis circiter mille ipsam (materialiam) durescere, atque in formam metalli metallum ipsum postremo indui. Unde cœlum in scitura diutius, quam in rebus cœteris condendis, laborare,

laborare, cum majoris moliminiis nixusque genitura partum nobilitet, ut in leonibus, in elephantis observamus: antequam metalli compositio durissima evadat, & spiritalis in eo vapor, misceatur valide, ac metallum in ventre telluris decoquatur, tandem Humidum & Calidum Radicale in eo fortissime cum sicco, terrestri, subtili ac digesto, h. e. Sulphure Mercurio commisceatur. Inde mirandum non esse, si reliqua sub luna facilius cedant corruptioni, quam metalla solidioris naturae: si dictum Humidum & Calidum igne non queat excedi: si lapidem suum Chymici non ex vegetabilibus, non ex animalibus, sed ex praeditis elementis fieri contendant. Enim vero vim illam celestem imbibit, sed terrestri & duritatee commixtam plane suffocari, ne vires virtutemque, quam cœlitus sit adepta, ex trinsecus exercere valeat. Quare adhibendam artem Chymicam, quæ vim intus latenter, ut flamma in silice latitat, separet, foras promat, ex metalli penetralibus educat in lucem. Hoc Chymici ignis vehementia præstari, cuius ope id, quod spissum, quod terrena facies, auferri, & crassa omni materia soluta, repurgata, separari materiam primam, subtilioribus spiritibus & metallo per destillationem ab igne conceptam. Eadem, quia corporibus celestibus assimiletur, splendido insigniri nomine, nunc cœli, nunc quintæ essentiae, nunc lapidis Philosophorum. Esse nobiliorem ex metallo substantiam, per partes ex elementis compositas diffusam, simplicem, corruptioni non obnoxiam, minime eo sensu, quasi nullo modo corruptioni subjaceret, sed quoniam ex materia ceteris præstantiore generatur. Velsicularii definunt: esse tertium quid, ex materia consitens atque forma supra naturam, naturæ auxilio, nec non artificis industria conflatum; esse Finem, & imperfectorum omnium perfectionem corporum & operationum, in quo permaneat, ut in igne salamandra. (e) Addunt, lapidem tam mirabilem, si rite conserveretur, vel in annos decies mille, si tot numerare in hac mortalitate homini datum esset, perficiendum, neque quicquam ramen sue efficacitatis aut virtutis amissurum. Non otiosos stupidos, sed solertes & gnavos isto naturæ fructu potiri. Fructum nominant, cuius usum geminum partim in efficiendo auro argenteo, partim in paranda medicina, eaque ejusmodi, quæ corpus ab omni morbo, ab omni purredine præmuniat ac præservet; corpora vero languore morbido infecta jam, subito liberer, aquæ ad pristinam valitudinem reducat, luculentissime deprehendi. Quod ut celerius persuadeant aliis, ad medicamenta Chymica provocant, plus medelæ afferentia, quam Galenica, tresque medicaricis Chymicæ facultates non mediocrem commemorant; quod minore pondere summa, quam Galenica, nihilominus profint ad salutem corporis: quod nulla nausea fumantur, secus ac fit cum Galenicis: quod citius & melius medeantur: imo morbos quosdam penitus tollant, quibus medicamina Galenica necquam adhiberentur: quod valorem sanandi vigorremque malii expulsorem retineant; cum contra Galenica parco temporis spatio debilitentur, & prorsus intereant. Si medicinam ex uno metallo fuscitatem objicias, neque probabile videri, cunctos morbos ea profigari posse; Respondent, posse omnino; quan- doquidem singula metallæ, secundum similitudinem, virtutem, nomen, colorem & proprietatem, in quolibet metallo comprehendantur, planetas etiam omnes in totum corpus humanum influere; inde ex omnibus quasi elementis præfertissimam componi medicinam. Instas porro, haud cuivis licere tam esse beato, ut tanto secreto natura gaudeat; Non nesciunt, quomodo adversario ocurrandum sibi videatur. Prætendunt enim, difficultatem refidere in ipso discipulo, cui tam præclarum donum a DEo pie ac reverenter petendum, qui, nisi vitam inculpatam gerat, submissus animo, prudens, doctus, Latini sermonis peritus, sapientia gnarus, rerum naturalium solers scrutator, laboriosus, constans, ab iracundia sibi temperans, patiens, liber, curis alienis vacuus, secreti tenax, a fugo fallacium disputerorum abstinentis, prodigentia atque avaritia fugitans, in declinandis malis illusionibus oculatus, satis locuples, librorum copia instructus, experimentis inhians, denique sanus animo, sanus corpore: oleum & operam perdiuerus sit. Majorem etiam difficultatem ab ipsis Doctoribus metuendam, artem aut involucris verborum occultantibus; aut ænigmatibus figuratis ambagibus dictionum vestituque allegorico involventibus; aut nominibus inusitatis, characteribus monstrosum, contradictionibus implicatis, ambiguis sermonibus, adulterinis interpretationibus, anxia varietate styli, rerum traditarum exercitatione impossibili, sic lectores illaqueantibus, ut eos dedita opera decipere voluisse videantur. Accedere tertium impedimentum, ipsam materiam, cuius fundamento opus præsens nitatur. Tum & regimen, qui instrumenta tractare convenient, viam reddere sepius impeditam, perplexam, certe falebrosum. Notetur obiter hoc loco Stoici porrentosa sentiendi ratio, Juli Firmici, confidentis lunam in nocturna genitura, non ab Horoscopo loco, si fuerit Saturni domus, scientiam nascenti homini conciliaturum Alchymia. (f) Siquiesciam dum ambigat, hanc auri fabricam subsistere posse, & partem sanæ atque sobriæ Philosophiæ tueri: cum non idem auri Chymici scrutatoribus accidat, quod Sirmianis Hungarisi, qui prope Sirmium urbem Pannonicæ, capitulo vere aureos in vitibus repererunt, ex quibus deinceps aurea moneta fuerit cusa;

cusa; (g) Aut quod Alexander Neapolitanus narrat, in citeriore Germania comperisse, intra Danubium vites emergere, quæ claviculas & plerumque folia auro puro candidantia tulerint. (Cujus caufa auri fodiis sub vite latentibus debetur; namque sub terris, vel certe in summo earum cespitate inveniuntur metalla, quæ vi quadam naturæ, auxiliariæ tanquam manus porrigitæ celo, a plantis attrahuntur & rapiuntur.) Neque Philosophico isti lapidi illud statim tribui potest, quod de lapide Carystio, lana quædam & colorata sibi habente, narrat Apollonius Dyscolus, (h) unde mantilia texant incolæ, sed & fila pro lucernis torqueant, quæ dum iruntur, splendeant, neque tamen clementur, & per ignem repurgentur maculis; quorum & funes lucernarii cum oleo usi nunquam comburantur. Bezoardicum quidem lapidem, ex quo tintura Bezoardica, constantia, ob salubrem in re medica usum, minorem Panaceam cognominatam, mirabilis profus ac rara originis esse, tradunt seduli rerum naturalium scrutatores. Coacervari enim in cervorum intestinis vermes, serpentumque esu necari, quos spiritu narium ex cavernis cervi eliciant. Ne his vero serpentium virus obfit, ad fontes aquarum properare, in quibus dum ad labra usque merguntur, ex oculis lentes destillare lacrymas, easque viscidine sua in majoribus canthis, ad nucis juglandis magnitudinem concrecentes, quodam modo lapidescere. Ubi vero cervi sele veneni malo relevatos sentiunt, aqua egredi, attritu oculorum ad arborem, rorophum illum, visus obstatulum, excutere. Quæ causa est, attestantibus magna autoritatis Medicis, cur venenum pellant, & peste correspondit cum vini momento data Bezoardica opem ferant præsentissimam, (i) Et eorundem præsidio ita cieri videmus sudorem, ut pene totum corpus eliquari credamus. Jam vero quid simile a lapide illo sapientie expectes? cum potius impostores ei operam & sumptus ferentes, omnibus exhaustis viribus, omnibus impensis stulte & proterve profusis, id demum reportent præmii, ut animum ditibile atra, ora fuligine & fumo decolorent, crumenamque nummis, fortunam autem facultatibus copiaque reram spolient. Etenim plurimis evenire morbum egestatis, ridiculum cassi laboris comitem, metallæ & sucros in abditis fornacibus recoquere allaborantibus, quo ex argento vivo concretum & ductile, ad monetas faciendas, conficiant argentum; aut abditarum rerum maslam confiantes, purum aurum inde progenerent. Quod Augurello contigit, cui opera omnis, in anni voto susceptra, magno damno cesserit: cum ingenium ab irrita spe ad factitanda carmina verteret, irrisaque artis certitudinem poëtica autoritate demonstraret, atque ipso conscientiae pudore manis proderetur artifex. (Scripsit enim ad Leonem X, auri contemptorem, Chrysopœiam, quo me�auit opes sine injuria humani generis abunde suppetenter sibi. (k) Sed artis præcepta tradens specie, quasi poëticis ornamentis artificiis celans, adeo crebris elegantibusque salibus ea dissimilanter aspergit, ut & illa & totam artem, relictis, si quis attendat, aculeis, acutissime risisse videatur.) Sic ergo dum aurum sperent, carbonibus iudi; dum jocum veruſtum Chrysopœias refricent, hamo filos aureo pescari. Hinc Scaliger Cardanum de igne differentem his verbis exagitat: Quærendus jam tibi quintus calor est, quasi nova quinta essentia, qui non ignis sit, sed ignis Aegyptius. Id quod tibi facile fiet, qui in distillationes descendere jubes ætherem de convexo lunæ. In cuius rei confutatione me exercere noltui, qui iftas fornaculae odi odio plusquam Vatiniano. Sunt enim noctuae ad aucupia crumenarum, a quibus aurum, quod postea pollicentur aliis, sibi capiente prius. (l) Hinc Erasmus: Metallorum transmutatio multis millibus frustra tentata, nemini impune fuit: Omnes enim si non sanitatis, auri tamen jaeturam fecerunt; pars maxima ad egestatem redacta est. (m) Hinc eam Melanchthon imposturam quandam sophistican; Petrarcha mentiendi & fallendi artem; Peucerus etiam Dæmonis præstigias vocavit, cuius ex studio nulli alii successus spandleri, præter sumum, cinerem, sudorem, suspiria, verba, dolos, ignominiam, inopiam, in nonnullos, (pergunt) amissis primum animi luminibus in hoc exercito, corporeos insuper oculos amississe, parumque se a virtutibus aberrasse credidisse, nisi errori damnum, damno labor, labori pudor accresceret, ut notanter loquitur citatus Petrarcha. (n) Hinc Porta: Dum sophistico auro præparando laborant, principia penitus ignorantes, ubi bona decoixerint, in perniciem ruunt vanaque auri spe deluduntur. Ut recte Demetrius Phaleranus dicat: quod capere debuerant, non ceperunt: quod aurum possidebant, perdiderunt, & Meramorphosin, quam in metallis expectant, in se ipsis expeririuntur: tunc (cum hoc unicum solamen inveniant) commentitiis fraudibus alios fallere, & sibi comites efficere nituntur. (o) Hinc Erasmus Balbinum a sycophanta deceptum ridet, cum per annum frustra ei pecuniam esset largitus; donec tandem res tota in fumum abiisset, Balbinusque ipse putaret se felicem, si consilium suum faciendi auri nusquam palam fieret nebulonis garrulitate, aut in vulgo exiret. (p) Hinc Guili. Constantinus, Gallus, fusalit sociis artis aureæ, abjicerent Alchymiam, atque in laborem aliquem honestum incumberent; hominis pure dementis esse, cogitare, quod tam conciso temporis spatio aurum possent fingere, in quo effingendo annos amplius mille natura confundere.

meret. (q) Ast his omnibus respondere parati sunt aureæ felicitatis proci, quod, licet sibi non concedatur ex arborum ramis, aut vitium racemis metalla pretiosissima decerpere; arte tamen magistra, ita se in aurum posse operari, ut e nobili materia longe nobilissima, ut folia, flores, fructus ex stipite, prognatur. Id & principem Poëtarum apud Latinos voluisse, eo quidem in loco, quo arborem opacam in sylvis latenter describit, cuius ramus aureus & foliis & vimine fulgentem suo splendore auram illuminet. (r) Etenim & sacrorum Chymicorum consulti arcana magisterii Chymici, sub aureo illo ramo, occultari autumant, Robertus Vallenensis, Glauberus & Borrichius. (f) Quanquam Baconus super ramo hoc fatali Proserpina offerendo, si quis rite veller per regnum inferorum ire & redire, ita disserit: De virga illa aurea vix videmur sustinere possi impetum Chymistarum, si in nos hac ex parte irruant: cum illi ab eodem lapide suo & auri montes, & restitutionem corporum naturalium veluti a portis inferorum promittant. Et mox: Nobis certe compertum est ex compluribus antiquorum figuris, eos conservationem atque instaurationem quadam tenus corporum naturalium, pro re desperata non habuisse, sed potius pro re abstrusa & quasi avia, Atque idem sentire hoc etiam loco videntur, cum virgulam istam inter infinita virgulta ingentis & densissimæ sylvæ collocarunt; auream autem finxeræ, quia aurum durationis tessera est; inservivæ, quia ab arte hujusmodi effectus sperandus est, non ab aliqua medicina, aut modo simplici aut naturali. (t) Mirabilem Bezoardici lapidis ortum defensores Alchymia ultro largiuntur, ita tamen, ut artis sua natales, ob divinas virtutes & singularem excellentiam, nequaquam cum illius comparando, nisi parva magnis componere quis velit, arbitrentur. Hac enim accedente, calorem & temperamentum habere vim & potestatem, sulphur & argentum vivum commutandi in aurum: quod miraculi instar intueri deceat. Iidem impostoribus defensores dare porro nec possunt, nec volunt, nec inviti subscripti censuræ Autoris præfationis, quam Margarita Boni præposuit: gemme orphani propter ejusmodi nebulonum fraudes, plorant vidua, lamentantur mariti, conqueruntur conjuges miseriam suam; hic agros, ille domum, alius redditus absuntos desiderat, & qui modo nihil, nisi aurum somniabant, mox vel stipem exigere, vel turpi pudore ad stipham accedere coguntur. Enim vero artificis via culpamve arti ipsi imputari nefas putant. Hanc in rem autoritates virorum clarorum opponunt auroritatibus, recensentes longo ordine Scriptores, qui partim consilia sua in medium attulerint pro exercenda arte; partim experimentis eo processerint, ut Adeptorum (sic vocant eos, quorum opera in auro eliciendo non fuerit fruitanea) in numero annumerari mereantur. Numerum Autorum Chemicorum sua jam ætate miratus est G. Agricola: quod, quo minus multi essent, qui de re metallicâ scripsissent: eo magis miratu dignum videretur, tot extitis Chymistas, qui composuerint artificium de metallis aliis in alia mutandis. Juvat, in gratiam B. Lectoris faltem haec nomina hic allegasse: Albertus M. de Alchymia, extat cum veræ Alchymia Scriptoribus aliquot a Guili Gratarolo collectis (u) Ej. Concordantia Philosophorum in Lapide Philos. Apollonis, Harapionis cognomine, Semenuthi (videtur cum AEgyptiorum Imuth, h. c. disciplina mirabilium, e metallis & mineralibus effectum pariente, congruere) quos libros XXIV. fuisse, a Zosimo Panopolitano conscriptos de Chemia, a Stida discimus. Artephii clavis primaria, pro recludendo arcano Lapidis Philos. e Lat. & Angl. in Germ. per Rothschultzium. Joh. Aurel. Augurelli Chrysopœia, heroico carmine scripta. Joh. Ant. Augurelli Chrysorrhemon, s. dialogus de arte Chymica. Avicennæ Compendium Alchymie, Tr. de conge- latione & conglutinatione Lapidum. Bericht von der Wunder-Materie. (w) Blenniade Chrysopœia. Matth. Erbin. von Brandau Beschreibung von der Universal-Medicin. (x) Ej. Grund-Sculen der Natur und Kunst. Lancelot Colson Philosophia naturata, ex Angl. in Germ. per J. L. M. C. (y) Democritus Abderita de Arte Sacra, s. de rebus nat. & myst. cum commentariis Synesii, Pelagi, Stephanii Alexand. & Olympiodori, interprete Domin. Pizmentio, (z) cum tumba Semiramidis Hermetice figillata. Gerardi Dornæ de Luce nat. Physica. Ej. Schlussfel der Chymischen Philosophie. (aa) Ej. Commentarius ad Tabulam Schmaragdinam Hermetis (quam omnes Commentatores, Hortulanus, Lullius, Villanova, Bernhardus, Libavius, & cæteri, præter Dornavium, qui de medicina universalis exposuit, sensu allegorico potissimum de metallorum transmutatione sunt interpretati) Gastonis Dulconis Clavei Apologia Chrysopœia & Argyropœia

adversus Thom. Eraftum. (bb) St. Dunstan vom Stein der Weisen, cum experimentis Rhuneliis. Thom. Erafti Tr. de orru, Speciebus & materia metallorum, in quo & famosa de metallorum transmutatione quæstio, Galli Eschenreuteri Epistola ad Wilh. Gratarolum. Joh. Espagnetus de Arcanis Hermet. Geibri Scripta Chymica. (cc) quorū interpres Bonus, Libavius, Mejerus, Dienheim, Dulco, Vogelius, Vallenfis, Iconius, Rulandus, Cunradus, Gebhardus & alii, Heliodori libelli Jambici, Heracio Imp. dedicati, item ad Theodosium Aug. missa. Joh. Frid. Helvetii Virtulus Aureus, quem mundus adorat & orat. (dd) Hermetis Trismegisti Tabula Schmaragdina. Ej. Libri Theol. Das eröffnete Philosophische Herz an seinen Sohn. (ee) Theob. Hogelande de Alchymia difficultate. Casp. Hornii præfatio in Bernhardi Scripta Chymica. J. N. v. E. J. Alchymia denudata, revisa & aucta. (ff) Jani Lacini Pretiosa Margarita Novella. Libavii Syrraxis metallica, Petr. Lombardi Margarita pretiosa. Raym. Lullius de Secretis naturæ f. quinta essentia. (gg) C. E. M. Licht und Finsternis aus der Erleuchtung GÖTTLICHS. (hh) Metallurgia Hermerici cuiusdam, edita per Joach. Tanckium. (ii) Morienus de transfiguratione metallorum. Paradoxa f. Lapis Philof. (kk) Pancirollus Tit. VII. de Alchimia, in rebus noviter inventis, cum notis Henr. Salmuth ad h. l. Penotus de Chrysopeia & Argyropeia, qui liber VII. claves artis inscribitur. Irenæi Philoponi Philalethæ Kern der Alchymie, ex Angl. Germ. per Joh. Langium. (ll) Joh. Pontani Beschreibung des secreten Philosophischen Fiuers. Pythagoræ (ut vulgo creditur) Turba Philosophorum. Rhæsis liber perfecti magisterii, item lumen, Georg. Riphæi Scripta Chymica de Lapide benedicto, ex Angl. per Benj. Rothscholzen. (mm) Joh. Scotorus de Lapide Phil. (liber supposititus) Georg. Ernest. Stahlii Anweisung zur Metallurgie. Aurel. Philip. Theophrastus (Bombast ab Hohenheim) dictus Paracelsus inservit Alchimiam Opp. Medico-Chymicis f. Paradoxis, Tom. II. Ej. Manuale de Lapide Philof. & Metamorphosis. Bernhardus Trevisanus de Lapide Benedicto Sapientum, e Lat. Germ. cum annotationibus Tanckii & aliorum, edente Casp. Hornio. (nn) Robertus Vallenfis de Artis Chimicæ certitudine & antiquitate. Laur. Ventura de Arte Chymica (idem gloriatu, se CCL. volumina ejus in Bibliothecam Palatinam intulisse, & alia L. præterea ipsum posse fidere) Arnaldi de Villa Nova Rotarius. Ejus Novum Lumen. Ej. Flos flor. Ewaldus Vogelius de Lapidis Philosophici conditionibus. Ustdadi Coelum Philof. G. W. Wedelii Introductio in Alchimiam. Zosimi libri Chemici (ab antiquo sacræ artis autore Cheme f. Chine) de Sacra Arte, de aquarum ad Chrysopœiam compositione, de Instrumentis & caminis, de investigatione aquæ divinæ, de quantitate ignis, de confectione æris flavi, de dealbatione margaritarum gilvarum, & alia ejus. Composuit enim XII. libros Imut ad Theosebiam fororum. Pene dememinissim Artis Auriferæ, quam Chemiam vocant, Volumen I. (oo) Ubi habentur: Turba Philosophorum. Exercitationes in hanc Turbam. Aurora consurgens. Rosinus ad Euthiciam & ad Sarrentanum Episcopum. Liber trium verborum Kallid. Tractatus Aristotelis de Præctica Lapidis Philosophici. Avicenna de conglobat. & conglutinat. Lapidum Opusculum Autoris ignoti. Rachadibi fragmentum. Avicennæ Tr. Clangor buccinæ. Correctio faturorum de Arte Chymica. Vol. II. in quo Morienus de transmutat. Metallorum, Scala Philosophorum. Ludus puerorum. Rosarium Philosophorum & secretorum omnium maximum Secretum. Ejusdem Novum Lumen & Flos flor. Ejusd. Epistola super Alchimia ad Regem Neapol. Fratris Rogerii Bachonis de mirabilis potestate artis & naturæ libellus. Citantur & alii non pauci, puta, Porta, Alexis, Lemnius, Basilius, Mizaldus, Diocorus, Ostanes, Archelaus Philosophus, Thomas, Senior Philosophus, Pantherius, Belefs, Plato, Sibylla, Mechungus, Veridicus, Hamech, Thabit & Haly, Aboholy, Agathodæmon, Orus, Chrysorichius, Debichius, Comerius, Apulejus, Petatius Rhodianus, Africanus Theophilus, Canides, Merlinus, Alchindus, Richardus, Averroes, Stephanus, Cleopatra, Virgo Trapezuntia, Maria Judæa, addatur hic Theatrum Chymicum Argentoratense, Museum Hermet. Francofurtense, Bibliotheca Chimica Albinæ. (pp) Quoniam vero plorosque horum mihi videre non contigit, iis recensendis vacare nolo. Non autem Autoribus tantum se defendunt secreti Chymici, sed etiam exemplis sive fabulosis, sive historicis. In fabulis libenter Aurei Velleris, a Jasone erepti, mentionem faciunt, quod credunt suisse volumen pelle contentum arietis, quo

in volumine auri faciendi ratio comprehendenteret; tauros ignivomos & æri-
pedes, furnos tauri specie fabricatos. Deinde ramus aureus Virgilii, quo instru-
ctus Proserpinam placaturus erat Aeneas, sæpe illis in mentem venit, (qq)
confusis, Poëtam Latinum ad auri tingendi artificium flexisse oculos. Nec dif-
fiteor, Celeb. Wedelium ingeniosissime pigmentum Virgilianum hoc accommo-
dasse, sub finem exercitationis Decimæ statuentem: Ut arbori sylvestri, indige-
sto immaturoque respetive succo præditæ, insertus ramus adolescat & vegetetur;
unde ipsi accedat quasi maturitas, ut videatur & habeatur genuina parens, radice
immatura & sua natura id non datura; ita immaturo metallico corpori certa pro-
portione & artificio, naturæ conformi, maturum & fixum feminali fermento appa-
rato, accedente ignis ministerio, posse scenerari suam tinteturam, charæterem &
fixitatem. (rr) Est & in ipsorum ore fabula de Sisypho, Rege Corinthiorum, qui
eadem occulta arte mortem in vincula compegerit, a Plutone, sic mortuoros vecti-
galibus fraudato, idcirco interemtus. Fabula de Pandora, quæ arte Vulcania, variis
dotibus ornata, nimbam quandam Chrysopœiæ referat. Idem de pomis Hesperi-
dum aureis, de Mida, omnia taetū suo in aurum permutante, liceat dicere. At
ejusmodi lufus ingenii, ad corporum transmutationes atque ad fornacis experi-
menta traducti, suaviter leguntur illi quidem & inventionis admirationem etiam
pariunt; sed certæ probationis nullum robur, nullum firmamentum afferunt;
cum fabulæ Poëtarum, rem significatam tegant; quilibet autem pro lubitu suo
res ita testas explicare possit, & rota interpretatio, præter conjecturas, nihil de-
nique officiat. Secus judicandum de exemplis historicis, si quidem vera sunt,
censeo. AEgyptii quondam, ope Chemiæ divitiis sibi comparatis, adversus Diocle-
tianum Imp., arma fumserunt. Hic vero, post Achillem, eorum Duce, octo
menses obsecsum Alexandriæ profigatumque, illis libros Chymicos omnes ma-
gna cura conquisitos, comburi abolerique jussit; ne imposterum de rebellione
aut defectione cogitarent. (ss) Quidam ex infima plebe homo, mira ingenii
fagacitate rationem excogitavit, qua ex metallo quolibet aurum feceretur aquæ
vi, quam inde chrysulcam nuncuparunt: officina hac Chrysoplismum; ipse arti-
fex Chrysoplynes dicebatur. (tt) Laminas aureas Villanovanus fabricavit
hujusdem artis auxilio. (uu) Raym. Lullius in Aula Londinenſi, iuſſu Regis,
verum produxit aurum, ex eoque nummi eusi, quos vulgo Nobiles Raymundi
nominant. Plura legantur apud Scriptores Chymicos, maxime citatos Panci-
rollum & Brandavium. Jam si de Scriptoribus ipsis ferendum sit judicium: vi-
ros partim excellentibus, partim exiguis geniis reperias; quidam valde oppor-
tuna locuti sunt & sua; quidam falsa, vel aliena immiscuerunt. Antiquiores
obscuri, tortuosi, ambigui plerumque; adeo iis legendis filo Thesæli opus est:
receniores plerique aperti magis, candidiores deprehenduntur. Sed nisi tamen
ducem invenias peritissimum, minus ex omnibus libris, si usum spectemus, rem
tenebis, quam celo operam daturus, qui globo artificiali tantum inhærens, ce-
lum ipsum nunquam intuetur. Si rem judicemus, de ea non male omnino, sed
parum plene scribit Agrippa: Alchymistæ nituntur eum spiritum (mundi, in quo
omnem virtutem generativam & feminariam ante collocaverat) ex auro fecer-
nere, quem rite segregatum & extractum, si poste illum cuivis ejusdem gene-
ris materiæ, h. e. cuivis metallorum adhibueris, aurum confestim argentum
que efficiant. Et nos illud facere novimus, & aliquando vidimus; sed non plus
auri fabricare potuimus, nisi quantum erat illud auri pondus, de quo spiritum
extraximus. Nam cum sit ille spiritus forma extensa, & non intensa, non po-
test ultra suam mensuram imperfetum corpus in perfectum permuttere: quod
tamen fieri posse alio artificio non inficior. (vv vv) Baco supra allegatus de ea-
dem arte leviter sentit, dubitanter loquitur: De Chymica, inquit, & lapidis illius
procis perpetuis certo scimus, Theoricam eorum esse sine fundamento; suspic-
muri etiam, Practicam esse sine certo pignore. (xx) Enimvero tutius ego ar-
bitror, hanc rem viris in hoc genere versatissimis ac peritissimis expenden-
dam tradere, quorum sententias ea ster, aut cadat; cädere certe non poterit, nisi
rationes Chymicorum solide confutentur, experimentorum autem & exemplo-
rum fucus, dolus arque fallaciæ penitus detegantur. O si homines tantum stu-
dii ponerent in acquirenda sapientia, quantum in auro! Neque de confusis fran-
gendas diu animus; a DEO hujus pulchri capienda primordia. Tria homini
posita ob oculos, natura, quam exploret, cui potissimum apta sit, ars, cui ope-
ram

ram navet accepitam; usus: quam quisque novit artem, in ea se exerceat, alienis se non impliceret. Cœlitus in ejus mentem amor virtutis defluat, ut lux immente refulgens & inclinatio voluntatis, & refrenatio morum ad perfectionem hominis, quantum humana imbecillitas patitur, conspirent. Quæcumque homo aut jam possidet, aut aliunde accipit, ea gloriae divinae sacra sunt, & in gloriam DEI, tanquam centrum, dirigantur. Unde doctrinæ atque vita confessio, quando partes sapientiae inferiores superioribus subjiciuntur; quando affectus bonus bonum hominem declarat: qualisque homo, talis oratio: orationi facta simillima, factis vita. Non vero deseratur bene ceptum opus, sed in lapidem quadratum ex crescat constans sapientia. Quapropter quisque ignem i. e. diligentiam adhibeat; celestia tractaturus, ad curam animæ; salutem populi curaturus, ad totum corpus reipublicæ; Scholis invigilans, ad poliendam juventutem; mercaturam vel opificium facturus, ad præstantiam negotiationis atque operis; agricola, ad colendum agrum; pecorum custos, ad rem pecuariam. Sic fructus geminus demum redundet, alter in proximum, alter in se ipsum. Accedat lumini naturæ lumen revelationis, & Philosophia ancilla serviat her. Theologiæ, quo cuncta evadant salutaria, immortalia.

An vero Conradum istum, cuius gratia hæc scripta sunt, sapientiae hujus gustum aliquem jam perceperisse dicamus? Tu ipse L. B. dicas sententiam, nobis silentibus, simul eum cognoveris. Interim Tibi & Patronis Academicis hunc pulum sapientiae, haud fortassis implumem, ad altiores volatus, optime commendamus. P. P. d. 24. April. 1720.

- (a) Ovid. met. I. (b) dial. 54. d. remed. utriusque fort. (c) Schönbergii Berg & Information. Löhnenii Bericht von Bergwerken. Hartwig Berg-Buch. (d) H. N. I. 33. c. 4. (e) Dornaus d. nat. luce Philof. p. 218. (f) I. 3. c. 15. Astron. (g) Mizaldus rer. mem. cent. 8. 58. (h) p. 33. Hist. comment. (i) Mizaldus I. c. cent. I. 70. Schultzius disserit. themat. d. tinct. Bezoard. c. 5. (k) Jovius in Elog. vir. illustr. p. 130. (!) Exercit. 23. d. Subtil. (m) Epikr. Med. 4. (n) d. remed. utr. fort. dial. III. (o) Mag. nat. I. 5. poem. (p) in Alchimista. (q) Bodinus Daemonolog. I. 3. (r) Än. I. 6. (s) d. v. 6. prope Chrysostom. Bellens in Elog. Philof. Virgil. (+) d. Sapiens vet. 29. (u) Basili. f. 1561. (w) Franc. 1707. (x) Lips. 1689. (y) Hamburg. 1696. (z) Colon. 1572. & Norimb. 1717. (aa) Argent. 1602, (bb) Ursellis 1602. (cc) Franc. & Lips. 1710. (dd) 1715. (ee) Norimb. 1717. (ff) Breslæ. 1716. (gg) Aug. Vindel. 1518. (hh) Lips. 1515. (ii) Norimb. 1717. (kk) Bas. 1582. (ll) Lips. 1685. (mm) Norimb. 1717. (nn) Norimb. 1717. (oo) Bas. 1593. (pp) conf. Morhoff. Poliph. I. 1. c. 21. (qq) Än. 6. (rr) Dec. 10. cent. Exercit. Medico - Phil. (ss) Suidas Dioclet. (tt) Rhodigin. Lect. Antiqu. I. 1. c. 13. (uu) Andreæ in Addit. ad Speculat. (ww) I. I. c. 14. d. occulta Philof. (xx) I. c.

Atum sapientiae s. de lapide philosophorum et recensio Scriptor
FK.134
95

DISSERTATIONEM LATINAM

SUPER DICTO C. JUL. CAESARIS:

SI JUS VIOLANDUM, IMPERII GRATIA
VIOLANDUM,
FRANCISCUS CAROLUS CONRADI,

REICHENBACHIO - VARISCUS,

VIRI, DUM VIVERET, NOBILISSIMI, &c.

**DN. CAROLI SIGISMUNDI
CONRADI,**

QVONDAM SER. ET POT. REGI POL. ET
ELECTORI SAX. A CONSILIIS COMMISSIONUM,
ET PRÆFECTURA VOIGTLANDICA &c.

FILIUS NATU MAXIMUS,

DISCIPULUS HACTENUS NOSTER SPEI OPTIMÆ,
ET,

QVOD DOMINÆ MATRI, NUNC VIDUÆ,
MATRONÆ HONESTISSIMÆ, MAGNO SOLATIO,
NOBIS, INGENIORUM CHYMICIS,

NON MINORI GAUDIO SIT,

AD SAPIENTIAM INTER CONDISCIPULOS EGREGIE
ASPIRANS,

DIE CRASTINO,

PER ACTIS SACRIS,

IN AUDITORIO MAJORI,

INSTITUET

DISCESSURUS, SIMVLQVE CYGNEÆ NOSTRAÆ
SALUTEM ULTIMAM DICTURUS.

AD HANC Igitur SOLEMNITATEM
SCHOLASTICAM

**VENERANDOS DNN. INSPECTORES,
PATRONOS, FAUTORESQUE STU-
DIOSÆ JUVENTUTIS**

HIS LITERIS

PEROFFCIOSE ET PERAMANTER
INVITAT

M. GEORGIUS ANDREAS Vinhold/ R.

CYGNEÆ,
LITTERIS FRIDERICIANIS.



Farbkarte #13		Black	3/Color					
Centimeters	Inches	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White
1	1							
2	2							
3	3							
4	4							
5	5							
6	6							
7	7							
8	8							
9	9							
10	10							
11	11							
12	12							
13	13							
14	14							
15	15							
16	16							
17	17							
18	18							
19	19							